

POSITIONES

Reliqua ad hunc Titulum pertinentia ex Parte supplentes:

I.

*S*uperioritas territorialis quantumvis in *Regione* vigeat, subordinata est *universae Reipublicæ*, cuius *Indoli & Legibus* suum debet vigorem.

II.

Subjectum formale & proprium Superioritatis territorialis sunt *Status Imperii, Territoria* insimul *immediata possidentes*.

III.

Vnde Knichius in Tr. de Jur. territ. C. I. n. 116. *Superioritatem territorialem* sine fundamento denegat *Civitatibus Imperii*, ex eo, quod careant *Dignitate Regali Principum*, quasi in ipsâ *Superioritate inclusâ*.

IV.

Vt enim *Superioritas territorialis* in *Principe* dicitur die *Landesfürstliche*: in *Comtie* die *gräfliche*: itâ in *Civitate* vocatur die *städtische hohe Obrigkeit*.

V.

Statuta Principum omnes, citrâ *Exceptionem*, in *Territorio* regulariter obligant: & *Principis liberos*, & *fratres* ejus, ipsamque adeò *Principissam*.

VI.

Forenses simùl àc ingrediuntur *Territorium*, ejusdem se *Majestati* subiicere censentur.

VII.

Plurima à *Dominis territorialibus* cum suis *ejusdem Religionis Civibus* iniri queunt *Pacta*, quæ *diversæ Religionis Successores* nullatenus obli-
gabunt.

VIII.

Pacta verò *Subditorum renuntiativa* cum *Pactis Principum Juris refor-
mandi renuntiativis, minimè exequanda esse contendimus.*

IX.

Quisque *Dominus territorialis* in *Residentia* suâ *absolutè gaudet* sic diétâ *Pace Burgensi* [Burgfrieden] ut in *Burgis* suis, cœù *Palatiis* atque *Castellis* ab omni alterius *Injuriâ* ne vel verbis factisve inferendâ, specia-
liter tutus sit atque immunis.

X.

Quodsi quispiam in *Burgo* [modò *Princeps ibi* resideat, aut *Curiam celebret*] *injuriam* alteri intulerit, sive ad *Duellum* provocaverit, talis tanquam *Pacis publicæ Violator*, atrociori quidem *Pœnâ*, minimè tamen [uti olim] *Mandus amputatione*, est puniendus.

e

XI.

XI.

Vnde meritò adstipulamur Cl. Fritschii Sententiaz, in *Tr. de Palatiis Pr. Imp. C. 12. n. 4.* "wenn nur einer die Hand zum Schlagen aufhebt in den Residenzen, so ist der Burgfriede gebrochen."

XII.

Illustrè Jus territoriale Archivi eò extendendum non est, ut nudis Copiis, ac vel Diplomatibus fide intrinsecà haud munitis, ideo, quia ex Archibvis de-
promta, Auctoritatem conciliari, omnesque eorum Nævos unq; quasi Liturā in-
duci statuamus.

XIII.

Quām *Judeorum* in Territoria admissio ita fieri debeat à Statibus, ut
Cæsarea universalis Advocatia Judaica semper maneat salva, hinc vbi jām ex
immoriali tempore vel ex Privilegio *Cæsar*, Securitatem & habitandi Jus
habuerunt, sine justa causā nec in Personā nec in Bonis licetē offendī, minus
inviti ejici possunt.

XIV.

Imò adeò *Cameram Imperialem* adhuc hodiē contra Expellentes Mandata
cum Clausula decernere, monstrabimus.

XV.

Jus Fisci Statibus omnino competens, falsò adscribitur Superioritatis terri-
torialis effectibus.

XVI.

Jus *Littoris* [Strand-Recht, Grund- und Kühr-Recht] barbaris mediī Evi-
moribus procreatū, noviore ætate meritò exsulat è *Statuum Territoriis*.

XVII.

Circa Jus *Molendina* exstruendi, planè diversa est diversorum *Territoriorum*
Ratio: ut ibi *Regalium* numero, alibi *Rebus meræ facultatis* accenseantur.

XVIII.

Regale decimarum novalium, quod quidam *Æcti* perperam tribuunt
Dominio territoriali, non adjuvatur *Legibus Imperii*.

XIX.

Similiter *Tbesauri* in fundis *Privatorum* inventi, falsò accensentur *Re-
galibus*.

XX.

Quò ad *Salinas* etiā in fundis privatis detectas, citrā earum *Pro-
ventus*, supremum *Principi* competit *Dominium*, quod præsertim in Cura
rem *salinariam* ornandi *Legibus*, omnesque ejus emendandi abusus ver-
satur.

XXI.

XXI.

Quod idem de Jure Protomiseos Metallorum intelligimus.

XXII.

Quamvis Cives inter se naturâ sint æquales; attamen Virtute mactos animoque generosiores, ob res præclarè gestas, Principes meritò aliis præferunt, ne dùm pari honore censemur cum omnibus reliquis, injuriâ affiantur.

XXIII.

Ipsum tamen Jus conferendi Nobilitatem, quod multi Interpretes Statibus adsignant, parùm idoneo niti videtur Juris Argumento.

XXIV.

Auctoritas Cœsarea hodiernis Legibus adeò est restricta, ut ex nulla causa vel minimum Imperii Statum sive provisorie, sive in Contumaciam pri- vare valeat Regimine, aut Regalibus.

XXV.

Vnde qui Causas adducunt, ob quas Feudo privari possit Vasallus, meminisse debent, quantum Conditio Statuum Imperii à communibus differat Feudorum Placitis.

XXVI.

Superioritas territorialis, ceù universus omnium Regalium Complexus, in Terrâ ecclesiasticâ, Sede vacante, ipso facto transit ad Capitulum.

XXVII.

Quare in ipso Jurium quorumcunque realium & supremæ Jurisdictionis Exercitio, Capitulum suo Capite destitutum, idem valet, ac ipse alias Arcibis- vel Episcopos tamquam Diæcesamus, quamquam Dominus territorialis.

XXVIII.

Sententiam illorum, qui Capitulationes Episcopis à suis Electoribus præscriptas tanquam Simoniacas, & consequenter omni valore destitutas explodunt, in Regula falsam, ipsique Bono publico ac Civitatis Saluti ini- micam esse statuimus.

XXIX.

Capitulum enim velut primarius Statuum provincialium Ordo, in Com- modum Reipublicæ, rectius capitulare solet cum Episcopo sive jam electo, sive eligendo, non tamquam tali ceù Principe Ecclesiae, quam præseriat tamquam Domino Reipublicæ ceù Imperante civili.

XXX.

Vnde Superioritas territorialis, uti ex Legibus Imperii sive scriptis, sive non scriptis, ita quoque ex hujusmodi Capitulationibus, ceterisque Concordatis provincialibus suam accipit Mensuram.

